



# Disputatio juridica inauguralis de jure deliberandi

<https://hdl.handle.net/1874/343279>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
JURE DELIBERANDI.

QUAM

SUB AUSPICIO SUMMI NUMINIS  
*Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

D. JOANNIS GEORGII GRAEVII

Politices, Eloquentiae, & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimae*

*Facultatis JURIDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
rite ac legitime consequendis,

*Eruditorum examini subicit.*

NICOLAUS SALDENUS, Delph. Batavus.

*Ad diem 20. Novemb. hora locoque solito.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae  
Typographi, clō Ibc xc.

*Nobilissimis, Amplissimis, Con-*  
*sultissimisque*

VIRIS.

D.D. HUBERTO ROSEBOOM Jcto.

DOMINO in Schrevelfrecht,

LIBELLORUM SUPPLICUM, qui SE-

RENISMO BRITANNORUM REGI

GUILIELMO III.

OFFEREBANTUR, olim MAGISTRO;

nunc CURIÆ SUPREMÆ in HOL-

LANDIA MEMBRO GRAVISSIMO;

ad SYNODUM, quæ QUOTANNIS in

ZUYD-HOLLANDIA CONGRE-

GATUR NOMINE ORDINUM DE-

LEGATO.

UT



UT ET  
D. D. GUILIELMO a SCHUY-  
LENBURG Jcto.  
DOMINO in Duckenburg  
CIVITATIS HAGANÆ CONSULA-  
RI. GLORIOSISSIMI ANGLIÆ, SCO-  
TIÆ, HYBERNIÆ & GALLIARUM  
REGIS  
GUILIELMI III.  
SENATUI ADSCRIPTO  
EIDEMQUE AB ACTIS.

Literarum literatorumque Mæcenatibus, cum de Republi-  
ca, tum de me imprimis optime meritis, ac indies me-  
rentibus; indeque nullo non honore & obsequio, dum  
vivam, colendis, prosequendis.

*Hanc Disputationem Inauguralem  
una cum semetipso*

D. D. D.

Illustrium nominum vestrorum

Cultor devotissimus

NICOLAUS SALDENUS,

*Author.*



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS.

DE

JURE DELIBERANDI.

THESIS. I.



Um olim lege XII. tab. libera erat legandi potestas, ut liceret vel totum patrimonium legatis erogare; tum ipsorum testatorum gratia, qui alias plerumque intestati moriebantur, quorum tamen interest secundum l. 6. ff. de interr. in jure. ut habeant successores; tum etiam respectu hæredum l. 71. ff. ad leg. Falc. Quippe qui accipiebant aliquid, cum antea non lata hac lege, & deserto testamento nihil prorsus accepissent, lege Furia & Vero-  
nia non sufficientibus, novissime lata est lex Falcidia, quâ cautum est, ne plus legare liceat, quam dodrantem omnium bonorum, quartâ hæredi, sive uni sive pluribus, manente salva. Simili fere ratione Vesp. Aug. rogatus esset, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere concessum fuerit (sunt



## I N A U G U R A L I S. 3

(sunt Imperatoris verba §. 5. *Inst. de fideicom. hered.*) quæ quarta Trebellianica vocata est.

### I I.

His ita in hæredum favorem constitutis, haud minoris momenti occurrit beneficium tum deliberandi, tum inventarii, quorum tractatum pro ingenii modulo conficere induximus.

### I I I.

Ut a priori exordiamur, jus deliberandi in hunc modum definimus: jus deliberandi est facultas hæredi concessa, quæ urgentibus creditoribus, legatariis, aliisque, quorum interest, potest petere certum tempus, ut in vires hæreditarias inquirat, & deliberet utrum velit adire hæreditatem, an eam repudiare.

### I V.

Datur hæredibus, dummodo non sunt servi, quo casu datur dominis, quorum servi existunt *l. 1. ff. h. t. tam suis l. 8. ff. h. t. jure prætorio jus abstinendi postea consecutis §. 2. Inst. de hered. qual. & diff.* quam extraneis, imo si plures sint institutionum vel substitutionum gradus, primo deliberante, annale tempus non currit cæteris *l. 69. ff. de acq. hered.* sed sic ut gradatim sunt instituti, ita gradatim quoque ipsis jus deliberandi conceditur.

### V.

Tempus ad deliberandum constitutum tum pro circumstantiarum, tum pro juris diversitate variat: nam neque creditoribus neque legatariis aditionem urgentibus hæres  
A 3 semper

## DISPUTATIO JURIDICA

semper adire potest, dummodo non repudiavit *l. 9. Cod. h. t.* aut saltem non nisi longissimo 30 annorum spacio circumscribitur & excluditur *l. 7. Cod. de pet. hered. §. 1. 8. Cod. h. t.* urgentibus vero dictis, tempus olim a prætore petebatur vel brevius vel longius secundum negotiorum necessitatem *l. 1. §. fin. ff. h. t.* non vero minus, quam centum dierum *l. 2. ff. h. t.* idque iterato *l. 3. ff. h. t.* quamquam hoc non nisi ex magna causa fieri *l. 4. cod. constat.* Postea statutum est, peti posse deliberandi tempus & a magistratu & a principe, & sæpius quidem, si modo dilatio a magistratu impetrata novem menses, a principe annum non excedat *l. ult. §. 13. Cod. h. t.* tandem Justinianus tempus statuit annale, quod cuique, petitione jam cessante, ex lege competeret, intra quod omnis deliberandi facultas concluderetur, computandum scilicet a die quo scivit quis delatam sibi fuisse hæreditatem *l. 19. Cod. h. t.*

V. I.

Observare autem operæ pretium erit, quod, etsi hæres, qui adire vel repudiare deberet, intra annum deliberationi datum concesserit in fata, potestas tamen ipsi fuerit hoc jus ad successores transmittendi *l. 19. Cod. h. t.* idque jure novo omnibus competit hæredibus, cum jure antiquo non nisi ad eos, qui sui hæredes, aut forte ex liberis essent, pettinuerit *§. 5. Cod. de Cad. toll.*

VII.

Quod tamen ut fiat legitime, sequentia requisita ab interpretibus ponuntur necessaria. Primo enim requiritur ut delata sit hæreditas, ita ut agnosci potuerit, quia id quod non agnoscit non potest in alium transferre. Secundo ut neque adita neque repudiata sit ab hærede, nam, si adit, ante mortem non opus est transmissione, si repudiavit,



diavit, nihil habet, quod transmittere potest. *l. 120. ff. de R. 7.* Tertio ut hæres intra annum decesserit, post annum enim cessat transmittendi jus: nam deliberans, si anno lapsa mentem non declarat, & tacet, repudiasse censebitur, si quidem substitutis urgentibus deliberaverit, & ita locus fiet substitutis, si vero urgentibus creditoribus & legatariis ex silentio præsumitur adiisse *l. ult. §. 14.*

*Cod. h. r.*

**VII.**

Deliberandi tempore sive lege, sive jussu prætoris, sive a principe, sive a magistratu impetrato, hæredum est in vires hæreditarias inquirere, expediat nec ne hæreditatem agnoscere deliberantium; postquam instrumentorum inspiciendorum, unde se instruere possint, a prætore vel magistratu facta est copia *l. 5. ff. h. r.* quo pertinet inspectio nec non descriptio tabularum testamentariarum *l. 1. §. 2. Cod. quemad. test.* sine quibus de oneribus impositis certi esse non possunt, nec quicquam illis invisis respondere. Et si sit filius hæres, interim alimenta sumendi potestatem habet. *l. 9. ff. h. r.*

**IX.**

Nec est, quod quis hanc deliberandi petitionem miretur, cum hæreditates, etsi primâ fronte lucrosæ & compendii spem præ se ferentes, sæpe ex post facto damnosæ comperiantur; tum ratione æris alieni *§. 1. inst. de aut. tut.* quod sæpius velut anguis in herba delitescere solet: tum ratione legatorum & fideicommissorum, quæ non raro totam hæreditatem exhauriunt: tum etiam ratione litium, quibus non vexari nostra maxime interest *l. 6. ff. de min. 25.* cumque, hæreditate semel aditâ, etsi solvendo non



## § DISPUTATIO JURIDICA.

fit, omnibus creditoribus hæreditariis in solidum obligentur hæredes, *l. ult. §. 14. in fin. Cod. h. t.*

### X.

Deliberationis effectus existit, quod hæres, pendente eo tempore, nihil ex bonis hæreditariis vel distrahere vel diminuire possit sine prætoris decreto interveniente *l. 7. in pr. ff. h. t.* nisi justa subsit ratio, tunc enim causâ cognitâ permittit prætor §. 3. *Et in pr. eod.* quod & exercitium actionum impediatur; permisso utique, si graviore rationes impellant, *l. 5. §. 1. eod.*

### X I.

Cessat hoc privilegium cum aliquis hæreditatem adiit, aut sese ei immiscuit *l. 10. Cod. h. t. & l. 4. Cod. de repud. hered.* ita tamen ut prætor per restitutionem impuberi, ut & minori qui inconsulta facilitate damnosam hæreditatem adiere, succurrat *l. 7. §. 1. ff. de acq. hered. §. 5. inst. de hered. qual.*

### X I I.

Verum enimvero propter nimiam affinitatem haud oportet præterire cretionum antiquitates, de quibus *Ulp. in fragm. Tu. 22.* secundum quas testatores erant soliti hæredes instituere cum cretione, hoc est, cum præfinitione certorum dierum, intra quos hæreditatem cernere, id est, adire debebant: ante quod spatium elapsum repelli non poterant, etsi repudiaffent. Sed quoniam ille mos per *l. 17. Cod. h. t.* est abolitus, neque instituti ratio hoc suadet, ut de eo amplius disseramus, ad alterum dissertationis nostræ præstitutæ membrum beneficium sc. inventarii nos accingemus,

C A P U T II.

CUM per jus deliberandi nondum satis consultum erat hæredibus, qui res alienum postea emergens agnoscere cogebantur, & creditoribus satisfacere, frustra inopia defuncti objectâ *l. 10. C. ult. Cod. de Jure del. Justinianus* Imperator huic periculo occurrere voluit, pleneque hæredi adeunti consulere per inventarii confectioem *l. fin. Cod. de jure del. cujus damus descriptionem sequentem.*

I I.

Inventarium est Catalogus omnium bonorum defuncti, factus ab hærede, præsentibus illis quorum interest, solennitatibusque, a Lege statutis, adhibitis.

I I I.

Scribenda sunt omnia bonâ defuncti cum mobilia tum immobilia, cum propria tum aliena, ut res depositæ, mutuo acceptæ, pignori datæ, nam hæ omnes hæreditatis nomine venire *ex l. 9. ff. de pet. hered.* manifestum est, adeo ut licentia sit creditoribus legatariisque, si majorem putaverint esse substantiam a defuncto relictam, quam hæres in inventario annotaverit, quibus voluerint legitimis modis quod superfluum est approbare, tum per tormenta servorum hereditariorum, vel sacramenta illius, si probationes defecerint *l. ult. §. 10. Cod. de jure del.* quod si dolose quædam omisæ, restituendæ duplicatæ, sin sine dolo simpliciter cæteris adjungendæ erunt. Quamvis, legatariis & creditoribus hæredem aliquid occultasse vel celasse probare recusantibus, & cæteris adjungi nolentibus, cum in totum inventarii beneficio privari variis inductus rationibus verius existimem per *l. ult. §. 2. in fin. junct. §. 4. cod. Cod. de jure del.*

B

quod



quod argumentum a contrario sensu egregie procedit, cum alias paragr. 4. foret inutilis nil amplius confirmans, quam in §. 2. modo statutum erat: quod absurdum. Porro constare videtur ex paragr. primo in *Auth. ad leg. Falc. Cap. 2.* ubi modus & tempus æquiparantur; dum ergo hæres non conficiendo inventarium intra præstitutum tempus ejus beneficio carere dicitur, quare is qui formam præscriptam negligit, quæ est ut omnia bona scribantur, & nulla fiat malignitas & fraus, eo gaudere possit, equidem non video. Quid? quod hæc sententia sequenti §. 2. plenissime confirmetur, in quo Justinianus expresse ipsis, qui secundum prædictam figuram non confecerant, beneficium hoc competere negat. Et ita hæc concilianda censeo; ut nim: si legatarii & creditores contenti erunt ut in lucem prodeat res ab hærede subtracta, mulctabitur pœna dupli; si vero eligent hanc viam ut beneficio inventarii careat, cessabit pœna dupli, & ille tenebitur ultra vires hæreditarias. Nec obstat quod, qui non confecerit inventarium tempore constituto plus peccet, quam is, qui res aliquas dolo celaverit: quia de priori dolus tantum est præsumptus, de posteriori vero certo certior. Optime vero hæres fecerit, si per Notarium protestationem inventario inserat, ut, si quædam ponenda sunt quæ posita non fuere, vel si quædam posita sunt, quæ poni non debuere, nullum sibi præjudicium inde creari velit. *Mont. tract. de Invent. Cap. 8. n. 53.*

## I V.

Hæc descriptio fieri oportet præsentibus & creditoribus & legatariis, aut loco absentium tres viri locupletes fidei & opinionis bonæ erunt adhibendi *Nov. 1. Cap. 2. §. 1.* qui si certi sunt, nominatim, si incerti, publice per præconem sunt citandi, ut certo die & loco quo conficietur inventarium se præsentibus sistant *Bart. in l. fin. Cod. de jure del.* ut & tabularii D. Nov. hæresque subscribere tenetur, aut si literas nesciat, saltem

saltem per tabularium fieri exigitur, cum declaratione omnem dolum & fraudem a se abfuisse, nec non dilucida expressione mensuræ bonorum *l. ult. §. 2. Cod. de jure del.* antea signo crucis hæredis manu præposito & adhibitis testibus, qui hæredem cognoscant.

## V.

Judicis præsentiam hic præcise esse necessariam, cum Imperator *leg. ult. Cod. de jure del. & Auth. ad leg. Falc.* ubi solennitates exacte describit, nullam ejus injiciat mentionem, cumque valde molestum foret Judicem occupari in re ad quam perficiendam plerumque plures dies requiruntur, non opinor. Nec movet in contrarium textus *in l. 27. Cod. de episc. audien.* aut *l. 24. Cod. de administ. tutor.* cum in prima lege inventarii publice, in altera præsentibus personis publicis conficiendi sermonem fieri evidens est.

## V I.

Tempus legitimum inventarii confectioni præstitutum est, ut inchoetur intra triginta dies, intra dies autem sexaginta sequentes absolvatur *d. l. ult. Cod. de jure del.* idque si res propinquæ sunt, si longius distitæ, anni spatium conceditur *d. l. ult. §. 11.*

## V I I.

Inventarii inchoati effectus est, quod hæres interim nec a creditoribus, nec a legatariis, nec a fideicommissariis possit inquietari *l. ult. §. 11. Cod. de jure del.* quam legem DD. non eodem modo interpretantur: sunt qui existimant, ex hac lege hæredem, inventarium dum conficit, a creditoribus, legatariis, & fidei commissariis juste non posse inquietari, actione tamen in rem tanquam possessorem conveniri utique posse;



posse; benignius autem & verius mea quidem opinione ex mente legis alii statuunt hæredem a nullo omnino posse conveniri, nam si molestari non potest a creditoribus & legatariis tam certam actionem habentibus, cur posset ab aliis non video: imo non potest censerī possessor intra hoc tempus, cum pro hærede haberi nondum potest, spatium enim hoc ipso jure pro deliberatione hæredibus concessum est *l. ult. §. 11. Cod. de jure del.* dummodo autem deliberant, hæredes dici nequeunt.

## VIII.

Ejusdem vero perfecti vis præcipua est, quod hæres non teneatur creditoribus ultra vires hæreditarias *l. ult. §. 4. Cod. de jur. del.* quod non teneatur legatariis & fideicommissariis ultra dodrantem, sed possit deducere quartam Falcidiam *d. parag. 1.* quod & actiones, quas contra defunctum habuerit aditione hæreditatis non confundantur *d. l. ult. §. 9.* uti alias antiquitus obtinuit *l. 7. Cod. de pact. in pr.* quod quoque sine periculo primo venientibus creditoribus possit solvere in tantum quantum hæreditariæ res valeant; adeo ut, si nihil reliquum sit, postea venientes creditores repellantur *D. l. ult. §. 4. & 5.* denique quod possit hæres jure retentionis consequi quicquid in funus, testamenti insinuationem vel alias necessarias hæreditatis causas impenderit *d. l. ult. §. 9.*

## IX.

Disputatur inter doctores an hæres conficiendo inventarium possit detrahere sumptus pro defendenda & acquirenda hæreditate factos. Circa quod negotium doctores in quatuor abeunt partes; quorum singulorum sententias & distinctiones hic enarrare operæ pretium non duximus, quæstionem per illa verba legis (vel in aliis necessariis

fariis causis) decidi existimantes, cum hanc esse necessariam causam a nemine negari queat.

## X.

Huc usque de utilitate hæredi inventarium conficienti obveniente: restat ut de poena circa negligentes dicamus; qui secundum legem *ult. §. 14. cod. de jure del.* non solum creditoribus in solidum tenentur, sed nec legis Falcidiae beneficio uti possunt: indigni enim cententur beneficio legis, qui requisita per legem negligunt: adeo ut integra legata & fidei commissa solvere sint obstricti *Nov. 1. Cap. 2. §. 2.* quod sibi imputent, cum ejusmodi oneri se subjecerint, adeundo hæreditatem & omisso inventario; præsumptio enim juris & de jure contra ipsos militat, quâ inopiam testatoris allegantes non audiuntur.

## XI.

Exceptio prima a poena propter neglectam inventarii confectionem est secundum doctores. Si creditores & legatarii fateantur nihil in hæreditate amplius fuisse, tunc enim dicta præsumptio cessat: aut constet defunctum dum viveret bonis cessisse, iniquum enim videtur successorem teneri in plus quam tenebatur defunctus. Quod privilegium non immerito quoque ad fiscum extenditur, dum sc. bona tanquam vacantia occupat *arg. l. 1. §. 1. ff. de jure. fisci:* non tamen eo videtur gaudere quando succedit jure hæreditario, nam idem juris tunc est in illo ac in aliis. *Nov. 1. cap. 4. §. 2.* nec obstat quod fiscus stricta appellatione personæ regulariter non veniat: quia postrema verba (sive alterius cujuslibet) tam generalia sunt ut neminem excludant; & deinde quomodo credibile est Imperatori, qui suam personam non exclusit, ad excusandum fiscum fuisse intentionem?



## XII.

Occasione militis locus est constitutioni Gordianæ, ut si milites propter simplicitatem & juris incitiam absque inventario adierint hæreditatem, in solidum non teneantur, sed tantum quatenus patiuntur facultates defuncti *l. ult. §. ult. Cod. de jur. del.* quamvis hoc per *Nov. 1. Cap. 4. §. 2.* mutatum videatur.

## XIII.

Quod autem necessitatem conficiendi inventarii attinet: confectionem ejus tam necessariam esse, ut neque ratione creditorum neque ratione legatariorum remitti possit, defendimus.





# COROLLARIA.

I.

*Omnes tutores se excusare possunt.*

II.

*Qui muros in municipiis violavit tenetur  
pœna capitali.*

III.

*Ob non confectum inventarium filius pri-  
vatur legitima.*

IV.



I V.

*Trebellianica ob non confectum inventarium perditur.*

COROLLARIA

V.

*Remotio suspecti tutoris est jurisdictionis ordinaria.*



III

Ob rem suspectam tutoris jurisdictionis ordinariae.

V

Ob rem suspectam tutoris jurisdictionis ordinariae.